



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

Lectori Benevolo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)



LECTORI BENEVOLO.

Utilissimam operam Juris prudentia Canonica Studiosis praestitit Admodum Reverendus Pater Ervricus Pirhing S.J. SS. Theologia, & Sacrorum Canonum Doctor; quando, post multos laboriosos annos, Sacris Canonibus explicandis, in Alma, Catholica, & Episcopali Universitate Dilingana impensos, emeritus tandem Professor, dispersam per diversa capitula Sacrorum Canonum materiam, ab alijs quidem accuratè expositam, nullà tamen observatà Methodo, & solùm capitulorum ordinem servando, in meliorem ordinem redegit, retentà quidem Titulorum, in quinque libris Decretalium comprehensorum, serie, scientiam tamen, quae per varia capitula, dispersa tradebatur, pro more aliarum Scholarum, in certas sectiones redigens, fusiùs quidem, omnia quinque distinctis voluminibus, juxta quinque Decretalium libros tradendo, cuius tamen libro suum brevem, & compendiosum indicem subiungens, quaestiones, & responsiones continentem, quae in quovis libro moventur, & deciduntur. Hunc ergo indicem in gratiam eorum, qui faciliorem tantùm Sacrorum Canonum notitiam desiderant, proponere placuit; juxta Methodum quidem illius quaestiones & responsiones afferendo, jura tamen, & rationem his sapiùs breviter subiungendo, in quibus decisio allata fundatur; & si qua specialia circa tales materias, ex fusiore Auctoris explicatione, annotanda videbuntur, breviter ea referendo. Utere proinde, benevole & Sacrorum Canonum studiose Lector, hoc labore, ab amico & accurato calamo Viri intelligentis & SS. Canonum non imperiti subministrato; nostris tamen sumptibus, industrià, & Typo, in publicum protracto; ulteriorem, quam ex varijs saepe capitulis Doctrinam Auctor eruit, & difficiliorum quorundam capitulorum explicationem ex ipsis fusiùs Tomis pete.